

TV, 101 .

2,15.



70.

8

AD
OTHONEM

PRÆTORIUM,

Poëleosin Academ. VVittebergensi P. P.

Cum

D. XXIX. Octob. Anno clō I: c LXI.

Nobilissimam Virginem

DOROTHEAM,

Summi Viri,

AUGUSTI BUCHNERI,

&c. &c.


relictam Filiam

in Uxorem duceret

GRATULATIONES

COLLEGARUM, ADFINIUM ET

AMICORUM.



WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi.



AD
OTHONIUM

PRÆTORIUM

Paedagogi Academ. Vindoburgensis P. P.

D. XXXI. Octob. Anno cl. c. LXI.

DOROTHIAM

AUGUSTI BUCHNERI

COLLEGIIUM ADEPHINUM ET

AMICORUM

~~~~~

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typographi.





**P**RÆTORI Nympham, quoniam Tibi jungis  
amore,


Est quæ præclaris nobilitata bonis:  
Non possum paucis vestro quin grater amori,  
Conjugium felix, & bona cuncta precer.  
Vivite concordēs, superantes Nestoris annos  
Absit tristis Eris, mutuus adsit amor.

*Ita gratulatur*

**Conradus Victor Schneider/**

Med. D. Prof. P. Celsiss. Princip.

Anhalt. Archiat. h. t. Rector.




**A**dsit PRÆTORI tædis oratus JESUS,  
BUCHNERI capiat gaudia mille domus!

vovebat

*Abraham Calovius, D.*

**S**ic bene! BUCHNERI claro de stemmate Natam  
Ducis in amplexus, *Sponse novelle*, Tuos.  
Gratulor hancce Tibi Sponsam castamq; , piamq;  
Atque bonis captis prospera cuncta precor.

*Johannes Meisnerus, D.*



**B**uchneri cathedram scandisti OTTO amule vates,  
Buchneri cupiens continuaure decus.

*Nunc & connubio Gnatam Tibi iunovere pergis*

**F**

*Det DEUS, ut nostri decus immortale POETÆ,  
Per Te, Prætori, floreat atq; Genus.*

*ἑὺ Φημίαι, ἔβηα.*

Andreas Kunadus,


---

**Q**Væ Tibi, PRÆTORI, cœlo plaudente parantur  
Sint auspiciatæ nuptiæ!  
Vos liget æternis concordia longa catenis  
Nullisque fracta casibus!  
Pullulet ex vestra numerus radice nepotum  
Et liberorum fertilis!

*gratulab. s.*

Christian Klengel,

D. & Prof. Publ.



**C**lli, SPONSE, vis negata versus pangere,  
Tedas Tuis BUCHNERIDISq; gratulor:  
Vivatis uno pectore annos Nestoris,  
Nec livor Asmodi angat optatum torum,  
Ornentq;, latâ matre, mensam liberi,  
Sic Nomen immortale BUCHNERI foret.

Joachimus Merger/

D. & P. P.



**D**onum DEi non dicitur tantum, sed est verissimè  
Pudica sponsa, cum venit dotata Virtutum choro:  
Sic Sponsus & vitam, bonumq; totius vitæ potest  
Securus huic Dono DEi domi forisque credere.

Nunc

Nunc GNATA BUCHNERI, locuples optimis virtutibus,  
PRÆTORIO, Vitæ Comes, *DEI QVE Donum* sic venit,  
Nos vota consecramus huic connubio gratisima:  
UNUM DEUS BONUM SIET VOBIS, NOVELLI CONJUGES!

*Honoris & ominis boni causa*

*von. ὀλοκαρδ.*

Johannes Deutschmann / D.

*Um tibi PRÆTORI, Collega Poëtaque Clare,  
Nec non DOROTHEÆ Sponsæ percare novella,*

*(Quam Genus & Virtus commendant omnibus, ipsa  
Vel sola AUGUSTI BUCHNERI nomine digna)*

*Gratandum est de conjugio presente, recordor*

*In simili casu BUCHNERO τῷ μακαρεῖτι*

*His verbis voti juvenili more, jocig;*

*Tunc à SPIEGELIO Claro Oratore remisit:*

*BUCHNERE à Græcis quoque PædoPoëta vocari*

*Incipe. Respondit voto eventus bene. Sponsæ*

*Excellens mox dilectæ placitureq; Sponsæ*

*Cum sis, dante DEO, AUGUSTI nostri Senioris*

*BUCHNERI Venerandi illustris ritè vocatus*

*Successorq; Generq; simul, cur PædoPoëta*

*Non Satagas Græcis dicitq; legiq; vicissim?*

*Conjugii finis Soboles, Sobolisq; propago est.*

*Cara Deo Soboles est omnis, curat is ipsam:*

*Conjugium Autorem JOVAM sibi poscit, & ipse*

*Divino fato nasci, non arte Maritos*

*Uxoresq; facit fieri. Benedictio JOVÆ*

*Conjugio optato debetur. Gratulor ergo*

*Sponse ac Sponsa simul, lepidissima Corcula, vobis,*

*Et precor, ut nunquam vestro Benedictio desit*

*Conjugio divina, adsit Pax almaq; semper,*

*ita ex animo vovebat*

Reinholdus Franckenberger,

Hist. P. P. & Acad. Senior.

A 3

○

**O** te felicem! dum non tibi contigit unus,  
*Optime Collega, sed triplicatus honor.*  
**Audis Professor, modo Sponsus, deinde Magister:**  
*Sunt bona cuncta DEI, Principis Ætherei.*  
**Gratulor hæcce tibi tua munera cuncta, precorq;**  
**Ut benè succedant, sorte favente tibi.**

*Benevolentia & amica gratulationis  
ergò adjicieb.*

**Christophorus Nottnagel, P. P.**

---

**B**UCHNERI ergò favor Te, SPONSE, in honesta coëgit  
*vincula, Gnata tuas convenit inq; manus.*  
**Exigat ut Doctis longos pro nisibus annos**  
*Tecum, crescentis firma columna domûs.*  
**Hem bene sudasti: veniunt Tibi pulchra laborum**  
*premia: victorem non nisi palma beat.*  
**Gratulor. In VOBIS vivat BUCHNERUS: ut olim**  
*Leucoris in vestrà prole salutet Avum*

*M. Lq; scr.  
Andreas Sennertus,  
Prof. Publ.*

---

**F**ilia Buchneri nostri tibi ducitur uxor,  
*Qvo nemo nostrâ major in urbe fuit.*  
**Lætatur Tecum, Prætori, nostra juvenus**  
*Ettibi eum Sponsâ carmina mille canit.*  
**Ordo Professorum totus celebrisque Senatus**  
*Accumulat precibus vota precesqve suis.*  
**Ipsè tuis tædis ex toto pectore grator,**  
*Liminibusqve tuis pignora pulcra precor.*

*Michael Wendelerus,  
D. & P. P.*

**C**ui myrti florem, cui fers, Venus aurea, cestum?  
Munera cui Charitum turba beata paras?  
Hæc Sponsi thalamis, hæc Sponsæ dona feremus,  
    Quos sacer irrupto fœdere jungit Hymen.  
Filia Buchneri sponsa est; Prætorius ipse  
    I signis, Jovæ munere, Sponsus adest.  
Annue nunc placido Saturnia pronuba vultu:  
    Annuit, & vultu prospera signa dedit.

Christianus Trenschius,  
P. P.

PRÆTORIO BUCHNERIA datur nuptui,  
Virgo reverentior DEi sui, proba,  
Modesta, tam pudica quam frugi optimæ,  
O vos Beatos! SPONSE, tali conjuge,  
Prætorioq; SPONSA, juncta nunc Tuo.  
Facies pias miscete, Vestra incendia,  
SPONSI, novent vestram domum, DEum precor!

Constantinus Siegra/  
Prof. Publ.

EN! thalamum (quisnam nescit Phœnica?) PROFESSOR  
Scandis! Tugeminas, pia Gratia necte coronas,  
Pinea Fax urbis, pueri, gestetur & ignem  
Jungite aquæ; vos sollicitum tectura pudorem  
Flammea virgineis ricamq; aptate capillis;  
Ipsa Cypris medio confesfu (ò annue Numen!)  
Non dissolvendo firmabit fœdera nexu.  
Vivendo superent Hic Nestora, & Illa Sybillam!

gratul. fac.

L. Ægidius Strauch, P. P.  
Clare

**C**Lare PRÆTOR, clara Virgo,  
Auspicata verba vobis  
Ominantur universi:  
Non ego silebo; surge  
Musa! surge delicati  
Carminis Magistra, Clio, Dithyrambum persona!  
Convoleat tenerrimorum  
Spiritus Favoniorum!  
His locis amoenitates  
Ambulent, felicitates  
Nuptias has consequantur!  
Dulce vivant, dulce ludant foederati amoribus.  
Ite bella, quæ malignis  
Illigat furor catenis!  
Ite! nullis inquinentur  
Tædiis, dolore nullo!  
Æmulentur ora solem,  
Æmulentur ora Phœben noctilucam! comprecor.

*Clarissimo Neo gamorum Pari*

**Georgius Casp. Kirchmaier,**

LL. A. A. M. atq; Eloqv.

Prof. Publ.

---

**V**ellem equidem Vestras presens ego visere Tadas,  
Clare Vir Aonidum Leucoreaq; decus;  
Vestra loco in sancto coram quoq; cernere vincla,  
Atq; inibi summis me sociare viris:  
Sed quid velle juvat? Sponse o clarissime, retro  
Officium, Senium detinet usq; meum,

*Corpore*

Corpore quando igitur neqveo me sistere praesens :  
Voto adero vestris Corde animoq; SACRIS.  
Auctor Conjugii vestros aeternae amores,  
Vos beae omnigena prosperitate DEUS.  
Det proles sexus utriusq; ac augmina rerum  
Corporis ac animae Nestoreosq; dies.  
Ista tibi, sponsaq; tuae, Clarissime Sponse,  
Mente favente precor: Consule misa boni.

Andreas Lipius, Medicus  
Physicus p. t. Cottbusien-  
sum Ordinarius.

~~~~~  
L Eucorei splendor Pindi, Dux unice Vatum,
PRÆTORI, metricam me quoque poscis opem?
Sic sitiunt fontes, sic Pontus flumina quarit,
Austria sic pingves optat anhela Crocos.
Scilicet ut geminos tolerant vix atria soles,
Atria sidereis conspicienda choris,
CLARE VIR, & duplici sic Tu non sufficis Astro,
Sceptra sed in Pectus Cypria flamma tenet.
Gratulor egregium festivo Corde calorem,
Atq; Tuis, opto, sint pia Fata thoris!

Johann Daniel Major,
Vratislaviensis, Ph. & M, D.

~~~~~  
ODE ALCAICA

D Onis suis Te cum Sapia  
Instruxit, & vatis cathedram TIBI  
Post fata nunc BUCHNERUS, illa  
Gloria Leucoridum, reliquit,

B

Quam

Quam diva VIRTUS, & comites Deæ  
Pallas, Venus, BUCHNERIA, possident:

Te suaviter Cajum salutat,  
Euge THALASIIUS! Ergò fiat!

gratulab. scrib.

Julius Ernestus Schröder, L.

πρὸς Φάωντις!

Siccine, Prætori, fers premia digna labore!  
Ex animo letor, duplici quòd mactus honore.

Hac plerumq; solent studiorum commoda grata:

Horum radices equeidem reputantur amara,

Ast fructus dulces, superantes flumina mellis.

Ut letor: duplici sic pectore grator honori,

Spartam commissam semper feliciter ornes!

Optatusq; torus, socialia pignora Lecti,

Semper succedant Ottoni singula fausta!

ita

vovet cordicitus

Christianus Alborn,

apud Mesosylv. Præpositus

DN. Sponsi Adfinis sin-

cerus.

PRÆTORI, quem non valeat superare canoro  
Carmine cum Musis Cantor Apollo suis,  
Te duxisse novem formâ præstante puellas,  
Ni novi, mecum nosce & aterque polus.

Hinc

Hinc Tibi. difficilis nuper provincia cesfit,  
Quando *Profesoris* nomen adeptus eras.  
Quod jungis *Decimam* casto Tibi foedere *Nympham*,  
Et *Venus* & *Charitum* laudat amica *Trias*.  
Nemo *Poëta* sonat, *Decimam* nisi junxerit illis  
Nam sic uberior *Carmine* *Vena* fluit.  
inde magis facilis cedit Tibi *sparta*, *mariti*  
Quando audis grato nomine, *Sponse*, *novi*.  
Maeste novis titulis, nova sic fortuna sequetur  
Et patris ritulos utraqve *sparta* vehet.  
In *Decimam* pedibus currentia disticha binis  
Fundas, sic geminâ laude *Poëta* clues.  
*Saxonia* veluti *Vates* *Socer*, ore rotundo  
Ingenio, senio, claruit, arte, fide.  
Qui velut ex ipsa *Charitum* *Triade* arô; lepore  
Constaret, visus tunc mihi saepe fuit,  
Sic Tu, *Sponse*, etiam tales effundito *Jambos*,  
Qui referant *Socerum*, Te referantqve *Patrem*.  
Crescat epos, crescant & opes, vitetur hiatus  
Ingratus, *Conjux* pareat & pariat.  
Non sit vester amor, clamor: non tædia tædæ:  
Non lectus luctus: conjugiumqve jugum.  
Sic, quæ Vos peperere, canent nova vota quotannis,  
Sic genus inde tuum fama loquetur anus.  
Vota dabunt alii magis tersa: minoribus hisce  
JOVA frui fieri si, benedictus eris.

*Bona scilicet ergo deproperatum  
votum*

Davidis Helandi, Cotbusi-  
natis Ecclesiæ Cathedralis  
Archidiaconi.

**Q**uid nisi vota feram tam sanctis congrua captis  
Magnoq; grata Numini?  
Ut thalami vestri primordia, finis & ipsum  
Medium sit undiq; optimum!  
Hæc si vota DEUS vobis exaudit, ut opto,  
Desiderabitis nihil.

M. Johannes Michael Strauß/  
Coll. Philosophi. Adjunctus.



**C**Armina me poscis PRÆTORI, Clare Poëta,  
Ut scribam tædis omina fausta Tuis.  
Vix ego digna Tuis conscribam carmina tædis,  
Namqve Caballino non ego fonte labor.  
Vix, nisi Tu Temet, quis digno carmine mactat,  
Qui vates PRÆTOR jam velut inter eris.  
BUCHNERI gener es, quod Magnum Nomen & omen.  
Quos Hic non liquit mente sagace libros?  
Hos nocturna manus Tua volvit, eosqve diurna:  
Quid melius, quam sic volvere sæpe libros?  
Unum rellequit compactum rite libellum,  
Hunc Tu sæpe Tuum volve, revolve librum,  
Quo PRÆTORIOLOS Tibi post gratentur Amici:  
Omina non sine re nostra Camœna canit.  
Tu PRÆTORIOLOS PRÆTORIOLASQVE videbis,  
Quis BUCHNERORUM Nomen & omen erit,  
Aut jam digna Tuis conscripsimus omina tædis,  
Aut tamen hæc tædis omina fausta Tuis.  
Nam numerosa DEI proles benedictio certè est:  
Quid porrò exoptes, si benedictus eris?

Tu

Tu benedictus eris: Domini benedictio ditat.  
Si benedictus eris, jam quoque dives eris.  
Sis felix voveo, sis terque quaterque beatus!  
Vix cupias tædis plura vovere Tuis.

*Auspicatisimis nuptiis Prætorio Buch-  
nerianis scribeb.*

M. Ernestus Bakius,  
Facult. Phil. Adjunctus.

---

Uram fortunæ Prætoris more videris  
Versare: ad nutum sic Tibi cuncta fluunt.  
Ad nutum Tibi cuncta fluunt! BUCHNERIA præstat,  
Ut voti damnas sis, Dominusq; Dea.

f.

M. Heinricus Baumann /  
Facult. Philos. Adj.

---

Nunc pia vota damus, dicentes jure beatum,  
Sponsa cui in foedus connubiale venit.  
Sponsa verecundis est moribus, ore decenti,  
Rebus & in duris mite levamen erit.  
Tempora lata precor Sponsis, & mitia fata:  
Sit sine lite domus; sit sine lite torus.

*gratulab.*

M. Samuel Hentschel,  
Fac. Phil. Adj.

B. 3

Otto

OTTO PRÆTORIUS  
DOROTHEA BUCHNERIN

SPONSI SPONSÆQUE

Nomina

*per anagramma, elisis b & b.*

Poeta ridet: Virtus honore coronat.

**T**ergemino VIRTUS insignis HONORE CO-  
RONAT

Cum totidem radiis splendeat ipsa simul.

Hinc noster RIDET de jure POETA: CORONAT

VIRTUS Prætorem suavis HONORE suum.

*Hæc affectu prolixissimo*

*Lectissimo Sponso*

*dabat candida manus*

M. Simonis Frederici Frenzelii,

Facult. Philosoph. Adjuncti.

**U**T viget æternum terris, post Fata, superstes  
BUCHNERIUS, Svada, Carmine, Prole viget  
Queis niveâ super Astra viâ FELICITER artes,  
Nesciaq; ignava Nomina noctis sunt.

Sic vigeas itidem: Vegeti dum scripta vigoris  
Arte foves, Gnata TE qvia, SPONSE, voves;

Vivat ut in genere Socerus, nisi vivere nondum  
desit, ac referant Scripta Nepotis Avuen.

Excellentissimis Neonymphis

Connubium auspaticissimum simul

precatus adjeci

M. Michael Liebenantz/

Fac. Philos. Adjunctus.

Ad.

*Ad VIRUM Excellentissimum atq; Clarissimum*  
**DN. M. OTHONEM PRÆTORIUM,**  
Poëseos P. P. in Alma Leucoreâ longè Dignissimum,  
*Σύνοικον* olim, jam verò Mœccenatem  
honoratissimum.

**T**rinum perfectum, vulgata parcœmia cantat;  
Sic etiam trino nomine lætus ovas:  
Namq; PROFESSORIS titulus, Sophiæq; MAGISTRI,  
TE SPONSI clarat, MAGNE PATRONE, novi.  
Ecquis Te tali non diceret inde beatum  
TRINO, quum potius terq;ve quaterq;ve fuas.  
BUCHNERI GÈNER es simul ac SUCCESSOR in Arte,  
Quam vel DIVINAM jure PŒESIN amo.  
Hoc erat in FATIS: Nam donec in orbe superstes,  
Næ TIBI BUCHNERVS PATRIS ad instar erat:  
Condendo pariter, quæ multò foenore promis,  
Publica dum scandens pulpita ritè doces.  
SPARTA fiet felix, felix BVCHNERIA SPONSA,  
Floreat & SOPHIES NOMEN in Vrbe Tuum!  
Audiat hoc votum devotum TRINVS JOVA,  
Ut TIBI TRINVS Honor ter bona mille ferat!

*Observantia contestanda scribebat*

*Witteberge*

**M. Johannes Peißker/  
Langenbergâ Varileus.**

**T**E vix donatum Palmâ Titulôq; Magistri  
Spectavi, quem deïn cum gravitate geres:  
Ecce

Ecce/ novos iterum fulgens sortiris honores,  
Te quando Sponsum Leucoris Alma vocat:  
Scilicet in puncto, quod non speratur in anno  
Accidit: hinc Vobis gratulor ex animo.  
Vivite Felices, procul hinc discedat Alastor,  
Adsit Rhamnufis, sit sine nube torus.

*Ita Domino Praeceptori, Hospiti, ac  
Promotori meo colendisimo fau-  
ste acclamationis ergo f.*

Johannes Georgius Röhn,  
Torgensis.


**M**Agne, Poëtarum *Praetori*, Phosphore clare  
Divarumqve Novem, grande Triumvè jubar.  
Cujus honoratum Nomen vigil inserit astris  
Gloria & ingenti sideris ore beat.  
Ex animo debitos tantos Tibi grator honores  
Quos pleno cornu justa Pronæa dedit.  
**Te**, DECUS Aonidum, palmâ, tituloqve Magistri  
Præclari meritò Leucoris Alma colit:  
Atqve Profesorem Te justâ lege creatum  
Laudibus eximjis tollit ad Astra Poli.  
*Insuper & Thalami Buchneria Filia* confors  
Fit Tibi, quam clarat, Forma, juvena, pudor.  
Sufficit hoc trinum. Quartam super addet Jova,  
Optamus, faciem, quâ vocitère pater.

Maete

Macte piis ausis. DEVS omnia numine dextro  
Dotet, & effectu vota secunda beet.

*Excellentissimo Domino Sponso amorem  
atq; observantiam declarans, simulq;  
Catulliano pentametro optans  
illud-fortunatissima longum  
ocia pacato degat ut in  
thalamo, ex templo  
facieb.*

Christophorus Cubitius,  
Coloniensis Marchicus.



*Allusio ad tempus nuptiale.*

**S**imonis Judæ lux horrida frigora nudæ  
Apportat carni, dicitur Agricolis.

Tu mihi, *Sponse*, sapis, medium qui frigora con-  
tra

Eligis egregium, Numine propitiô.

Tempora multiplicant glacialia corda moder-  
na

Auxilio veniat gratior ergò calor;

Ille calor, castis quem spiritus artubus inflat

Conjugibus, vitæ lætitiæq; patrem.

Principio fervet, medio PRÆTORIUS ardet

Non in amore tepor conjugialis erit.

C

Adsit

Adsit amor Tædis, fugiant mala quælibet & si  
Fortè superveniant, omnia vincat amor.

*Hæc paucula adjicere voluit Domino  
suo Præceptori, Fautori, atq; Pro-  
motori*

Godofredus Francus,  
Regiomont. Neo-March.

**D**um castam justo jungis TIBI scedere  
Nuptam,

BUCHNERIANAM Virginem,

Quam Pietas, labor & Prudentia cauta,  
Pudorq;

Quam Virginalis jugiter

Verè condecorant: Nunc Te super æthera tollo  
Feliciore sidere

Natum; Successum & Sortem gavisus  
opimam,

Congratulationibus

Atq; piis votis aliorum jungere votum

Hoc tenue debui meum:

Spon-

SPONSUS cum SPONSA crescat, feliciter

Ambo.

Vivant, Et eternum bene.

Ex animo

s.

Andreas Krafft/

Torgensis.



Quæ, VIR MAGNE, Tuum præ se fert gau-  
dia pectus?

Quanta serenanti jubila mente foves?

Scilicet in promptu causa est BUCHNERIA  
VIRGO,

Quæ TIBI jam SPONSO SPONSA petita  
datur:

Et datur in Thalamum: Thalamus sit prosper  
UTRIQ;,

Semper ut ex voto prosperiora fluant!

*Id quod ex animo volebat*

Andreas Godofredus Kirchbach/  
uff Tauschwitz.

---

Quæ vota tibi fundam, Neonymphe colende,  
Cum datur in Thalamum bella puella tibi.

Car.

*Carmine docto alii celebrant socialia festa:  
At mea tam dignum scribere Musa nequit.  
Ergo tibi ex animo grator, doctissime Sponse,  
Nulla toro vestro sint mala: Multa bona.*

paucissima hæc, Domino Con-  
sobrino suo, in honorem  
scrib.

*Christianus Alborn,  
jun.*

**FINIS.**



Ed 198

ULB Halle

3

002 040 255




Sb

UD 17

mit





10.

OTHO

PRÆTOR

Poëleosin Academ

D. XXIX. Octob.

*Nobilissima*

DOROT

Summ

AUGUSTI

&c.


relictar

in Uxore

GRATUL

COLLEGARUM

AMIC



WITTE

Typis JOHANNIS RÖHNE

